



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Maledicentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

maledictis profcindent in stagno ignis ardentis Apocal. c. 19. cum Sociis demonibus, qui ibid. dicuntur de ore draconis & bestia exire in modum ranarum.

II. (b) Lex tam naturæ, quàm divina dicitur, peregrinis humanitatem esse exhibendam. *Peregrino molestus non eris; scitis enim advenarum animas. Quia & ipsi peregrini fuistis in terra Egypti.* Exod. 23. Quibus verbis innuitur, Hospitaliter & humaniter habendos peregrinos; tum quia quicumque inter externos & ignotos versantur, solent esse animo pavido, suspenso, verecundo, ut proinde satis ipsa peregrinatione afflictis, non sit addenda afflictio; tum quia Hebræi experti erant, quàm esset dura peregrinantium conditio; adeoque non ignari malorum discerent succurrere miseris. Habétque hîc vel maxime locum illud: *Quod tibi vis fieri, facias alteri.*

III. (c) Etiam Latona non extra culpam est; ferventiùs in imprecationes proflavit, cum

*Æternùm stagno, dixit, vivatis in isto.*

Aliud nos docet Lex, non dicam Christiana, sed etiam ethnica. Cato certè cujusdam probris vexatus, respondit: *Impar mihi tecum certandi conditio est; nam ut malè dicere, & malè audire tibi facillimum est: sic mihi maledicere insuave est, & malè audire insuetum.* Plut. in vita Catonis. Hoc ipsum sæpe accidit viris Religiosis, quando per heterodoxorum provincias, & urbes faciunt iter; quos non rarò juvenus malè morata; opifices sordidi, illiberales, scurriles petulanter diceriis & convitiis infectantur, satisque indicant, hos spiritus ex ore bestie (Hæresis) in modum ranarum exire. Viri tamen cordati & religione inclyti, has, aliásque contumelias generoso stomacho concoquunt, qualem non habuit Latona.

Lyciorum rusticorum in ranas mutationem festivè describit Naso:

Eveniunt optata Deæ: juvat esse sub undis,  
Et modò tota cavâ submergere membra palude,  
Nunc proferre caput, summo modò gurgite nare,  
Sæpe super ripam stagni consistere, sæpe  
In gelidos resilire lacus; sed nunc quoque turpes  
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore,  
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.  
Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt,

Ipsaque

(b) Officium peregrinis exhibendum. (c) Maledicentia.